

I. N. 7.  
THESES PHILOSOPHICÆ,  
DE  
**INVOCATIONE  
DEI,**

QV AS,  
EX SUFFRAGIO AMPLISS. ORD. PHILOS.  
ABOËNSIS,

SUB MODERAMINE

**CAROLI FRIDER.  
MENNANDER,**

SCIENT. NAT. PROF. REG. & ORD.

REG. ACAD. SVEC. SCIENT. MEMBR.

PUBLICÆ EXAMINANDAS SISTIT

**MICHAËL ORRÆUS,**

WIBURGENSIS.

DIE XXII. JUNII, ANNO MDCCL.

LOCO HORISQVE P. M. SOLITIS.

~~~~~  
ABOË,

EXCUD. JOH. KÆMPE, REG. ACAD. TYPOGR.

*Viro admodum Reverendo atque Praeclarissimo,*  
Dn. MICHAËLI HEINTZIO,  
Ecclesiarum ad *Sofimä* & *Hardola Tavastia Prae-*  
*posito & Pastori accuratissimo.*

*Viro Praeclarissimo,*  
Dn. Mag. ANDREÆ KRAFTMAN,  
Historiarum & Moralium Lectori, Gymnasii, quod  
*Borgoæ* floret, vigilantissimo, ven. Consistorii ibi-  
dem Adlessori æquissimo.


*Viro plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,*  
Dn. PETRO HEINTZIO,  
*Pastori in Sasivitaipal & Suomenniemi meritissimo.*

*Viro plur. Reverendo atque Praeclarissimo,*  
Dn. MAGNO ORRÆO,  
Ecclesiarum, quæ Deo in *Taipalsari & Clemis* col-  
liguntur, *Pastori dignissimo.*

**A**dest tandem dies tot votis expetitus, quo Vobis, Avun-  
culi & Patru Optimi, gratissimam mentem, pro  
beneficiis plurimis mihi praestitis, publice testatam facere pos-  
sum Fateor, has primitias studiorum meorum incomitas esse;  
erunt tamen instar pignoris animi grati ac venerabun-  
t. Patiamini, me fortunasque meas ut olim, ita in posterum,  
Vobis commendatas esse. Meum erit, Deum Ter opti-  
mum Maximum calidissimis sollicitare suspiriis, ut iu-  
beat Vos per longam annorum seriem frui omni felicitate!  
Adm. Plur. Rever. atque Praeclarissimorum NOMI-  
NUM VESTRORUM

*cultor humilissimus,*  
MICHAËL ORRÆUS.





*THESIS. I.*

**I**nvocatio Dei est confessio fiducia, quam in agnitis divinis perfectionibus, & ejus auxilio, posuimus. Confessio fit, quando animi cogitata alteri declaramus. Fiducia vero summum gradum spei, de bono aliquo obtinendo vel malo avertendo, constituit; & oritur ex imperfectionis propriae, alterius vero perfectionis, imprimis potentiae, sapientiae & bonitatis, cognitione.

*THES. II.*

**N**on possumus nos ipsos felices reddere, propter defectum & limitationem virium. Felicitas ergo extra nos  
erit

4  
erit quærenda, h. e. fiducia collocanda  
in auxilio alterius, Non vero in crea-  
turarum, nam & hæ limitatæ sunt, &  
ab alio felicitatem expectant, adeoque  
nequeunt hominem perfecte felicem  
reddere, & desiderium ejus fere infini-  
tum explere. Hinc in solo Deo fiducia  
erit reponenda.

*THES. III.*

**I**nditus est naturæ humanæ a Crea-  
tore & sensus indigentæ, & deside-  
rium felicitatis summum. Non itaque  
solum per omnipotentiam potest Deus  
nos felices reddere, sed etiam vult, qua-  
tenus hoc desiderium haud frustra no-  
bis indidit. Quicquid vero vult, vult se-  
rio. Fiducia itaque nostra in Deo po-  
sita non erit frustranea.

*THES. IV.*

**F**iducia, dum ab altero auxilium ex-  
spectamus, erit illi aliquo modo  
mani-



manifestanda. Cum vero illa in Deo sit collocanda, requiritur confessio hujus fiducia; h. e. Deus erit invocandus.

*THES. V.*

**C**um sit omniscius, perspicit cogitationes nostras, & internam mentalemque fiduciam, qua illum veneramur. Ita simul ostendimus, agnoscere nos illius omniscientiam,

*THES. VI.*

**S**olent vehementiores animi affectus signis externis se prodere, ita erumpentes ardentius inflammari, & alios etiam afficere. Cumque simus a Deo omnimode dependentes, ore etiam eum invocare tenemur. Perutile itaque est, & interdum necessarium, fiduciam hanc nostram verbis, de animi affectu testimonium perhibentibus, declarare.

*THES. VII.*

**E**rit vero omnis invocatio Dei non  
subi-

Subita aut levis, sed ex intimo affectu procedens, bene composita, & submissionis ac confidentiæ significativa. Hinc ipsi gentiles carmina, musicam, victimas pulchras & donaria magna in sacris adhibebant.

*THES. VIII.*

**D**Ecrevit Deus omnia in tempore eventura ab æterno, unico decreto. Nec ratio ulla fingi potest, cur mutet semel latam sententiam. Invocatio itaque Dei ita erit comparata, ut decreto ejus conformia, h. e. vera bona, ab illo petamus. Fertur enim voluntas ejus in perfectionem omnem possibilem. Dum idem invocationi nostræ scopus, conformis illa est decretis divinis, & conscientia non dubia agimus.

*THES. IX.*

**B**onorum nonnulla semper & in se utilia nobis sunt, ut veritas, virtus;



7  
quæ absolute petere licet. Alia in se quidam bona, sed respectu nostri sæpe mala sunt, ut honores, divitiæ, sanitas; quæ cum conditione petenda esse apparet.

THES. X.

**C**UM in inimico fiduciam collocare sit impossibile, vel enim spernere solemus ejus auxilium, vel si, cogente miseria nostra, illud ambimus, dubii semper hæremus, an graviter læsus sine prævia satisfactione nobis opitulari velit; Deum invocaturus probe dispiat, an eum peccatis offenderit. Et tum sollicitus esse debet de Deo reconciliando, antequam cum spe exauditionis precari potest.

THES. XI.

**D**EUS non obligatus est ad bonis nobis conferenda, nec invocatio nostra est meritoria, ut petatum obtineamus.

neamus. Hinc tempus aut modum exauditionis Deo præfinire, aut impatienter ferre vel desperare, si effectus non sequatur petita, impium est. Sed culpa tribuenda subjecto invocanti, & modo invocationis.

*THES. XII.*

**N**ON invocandus Deus, ut per miracula nobis suppetias ferat. Nam ita modus auxilii ei præscribitur, & nostra indignitas non satis cogitatur.

*THES. XIII.*

**Q**VI Deum non invocant, ei diffidunt, cum auxilium ejus non expetant, adeoque perfectiones ejus in dubium vocant, & religiose eum non colunt. Non vero obligatur Deus, ad obtrudendum his auxilium suum, & ad enervandam libertatem humanam. Volenti non fit injuria.




THES. XIV.

**Q**uo vero sæpius invocationi studemus, eo sæpius perpendimus divinas perfectiones, eo diligentius evitamus peccata, eo firmiora redduntur virtutum motiva, & eo citius felicitas obtinetur.

THES. XV.

**E**x fiducia, quam habent Deum rite adorantes in ejus auxilio, dolor ex adversis lenitur, tristitia depellitur, animus tranquillatur. Cumque convictos illos esse oporteat de summis Dei perfectionibus, enascitur inde studium placendi enti infinito, & amor virtutum. Qvas, quo magis sectamur, eo magis Deo assimilamur eique conjungimur.

C. S. G.



Til Herr AUCTOREN och RESPONDENTEN,  
Min Högårade käreste Broder.

**S**wad är som lättast sig til högden upåt swingar,  
Och tränger sig med fart in uti himmelen?  
Swad är som allrabäst den högsta Gudens twingar,  
At wara tolig, mild, til wreden mycket seen?  
Ja säg, hwad är som gör, at odygd måste duka,  
Och dygden deremot sin frihet rätt får bruka?

Jo kom, gif noga acht, sä skal du säkert finna,  
At Bönen har den kraft, som Christendomen lär.  
Sur' långt förnustets lius kan i den saken hinna;  
På dessa kärta blad af dig förklarad är.  
Man ser at hedna Män ha bönsens värde sattat,  
Bör det ej högre bli utaf de Christne skattat?

Min Bror, dit arbet kan med allas nöije wisa  
Din slit at taga til i Dygd, Förstånd och Nett,  
Jag lämnar androm, at ditt wackra framsteg prisa,  
Och önskar blätt, det du, för mödan och din swett,  
Må bärga ymnig frucht, när tiden blir at störda,  
At den försynen, som wi almänt böra wörda!

Din trogna Bror,  
GUSTAV ORRÆUS.